

- sold. par. pro qualibet taberna et persona volenti vendere vinum, pro suo labore, et quod talis notarius malefitii recusare non possit nec debeat scribere predicta, pena centum sold. par., et habere debeat unum quaternum spetialiter ad hoc deputatum. ¶ Et quod aliquis tabernarius vendere non debeat ipsas mensuras magnam vel parvam ultra precium quod denuntiaverit et scribi et proclamari fecerit, sub pena vigintiquinque libr. par. pro quolibet et vice qualibet contrafacta. ¶ Et quod aliquis vendens vinum in taberna dare seu vendere non debeat
- 10 vinum alicui persone minus ipsa mensura magna vel media, sub pena centum sold. par. pro qualibet mensura que inventa esset minus iuste mensurata, incontinenti solvenda sine remissione // et proclamatione excusarum. ¶ Et quod miles vel
- 15 milites domini potestatis, per se divisim vel insimul cum iustitiariis comunis, vel duo ex ipsis iustitiariis per se et ad invicem debeant et teneantur omni die temptare tabernas in civitate Tergesti et secum habere mensuras predictas, et si invenerint dictas personas vendentes vinum contrafatientes contra predicta, acusare debeant eas personas, et eisdem adhibeatur
- 20 plena fides et acusis factis de predictis. ¶ Et etiam si invenerint aliquam personam unam vel plures portantes vinum vel habentes in aliquo vase sive ordegno, videlicet de vino sibi vendito in taberna, et mensurare voluerint sive facere mensurari ipsum vinum sic inventum in manibus alicuius persone,
- 25 quod talis persona portans vel habens dictum vinum eisdem dare et presentare debeat et teneatur, cum requisiti fuerint per militem domini potestatis vel eius familiam vel iustitios, causa mensurandi, sub pena centum sold. par. pro qualibet persona que recusaret dare ipsum vinum, incontinenti absque
- 30 aliqua proclamatione excusarum, et quod etiam de tali persona recusante dare dictum vinum et presentare dictis dominis militibus vel militi vel familie, que essent cum dicto milite ac etiam iustitiariis fides ¹⁾ adhibeatur eis militibus vel iusticiariis de acusis ipsorum de predictis. ¶ Qui dominus miles vel
- 35 iustitii accipere debeant et teneantur sacramentum ab ipsis

¹⁾ fides - iusticiariis. aggiunta marginale.